

---

† R. P. Laurentius Hubbauer (1872-1944)

(*Prov. S. Pauli*)



Die 25 Septembris 1944 in valetudinario civitatis S. Pauli P. Hubbauer diem supremum pie obiit, munitus morientium sacramentis, postquam 72 annos aetatis, 55 professionis et 49 sacerdotii est assecutus. Natus erat in vico Bavariae Muntersgrub 25 Nov. 1872, ibique primos cursus gymnasiales perfecit. Anno 1884 admissionem in familiam Alfonsianam petivit. Garsii veste nostra induitus est. Vota emisit propter « Kulturmampf » in sacello B.M.V. Dürrenbergensis in Austria.

Per 50 annos noster confrater ut filius genuinus Doctoris zelantissimi in Brasilia animis derelictis se dedicavit. Profectus est cum prima turma Redemptoristarum e Bavaria, obtento ordine diaconatus, anno 1894. Obedientiae voci obsecundans, Campinae, in statu Goiacensi, primum fervorem apostolatus exercuit. Imperitus etiamtum equitandi, erat per vigint dies in itineribus difficilibus, et saepe sub pluvia copiosa, ab ultima statione viae ferreae, Uberaba, usque Campinam.

Anno sequenti ab Episcopo Goiacensi, qui missionarios redemptoristas a R.mo P. Generali Romae obtinuerat, sacerdotio initiatus est. Repletus zelo apostolico et insatiabili spiritu sacrificii, tetendit retia ad captandas animas valde derelictas in vasta illa regione, ubi quasi omnino deerant sacerdotes. Unicum vehiculum in itineribus curae ordinariae et extraordinaire animarum erat equus vel mulus. P. Hubbauer numquam fatigationem praetexuit. Ut Superior et subditus labores magis difficiles amplexus est. Erat homo valde serius ac risui alienus, cultor assiduus vitae interioris. Rigorem erga confratres timori conscientiae et perfectionis zelo tribuere fas est. In scientiis philosophicis, theologicis et asceticis erat profundus. Multi episcopi et sacerdotes ab eo directionem et consilia rogaverunt. Libros Patris legiferi aliorumque Congregatorum, specialiter P. Desurmont, frequenter perlegit et propagavit.

Saepius munus Rectoris localis occupavit Aparecidae, Penhae et Campinae. Magister novitiorum electus magnum pondus mortificationi eorum attribuit. Defectum declamationis monotonae in conferentiis et sermonibus profunditate conceptuum et convictione intima cordis resarcivit.

Multis missionibus interfuit, sed campus principalis eius zeli erant innumera exercitia spiritualia. A fidelibus et religiosis utriusque sexus ut director et confessarius in magno pretio habitus est. Erat primus vel saltem inter primos sacerdotes, qui in Brasilia conversioni Iaponensium pagano-rum se consecrarunt. Didicit difficillimam linguam eorum. Publicavit « Confessarium bilinguem », iuxtaponens linguam brasiliannam et iaponicam ad praeparandam confessionem. Multos paganos in ecclesiam catholicam recepit. Eminens catholicus Iaponiae, dux navalis Yamamoto, visitans Brasiliam, Patrem Hubbauer adivit et gratias egit pro laboribus exantlatis in catechesi Iaponensium. Ceterum in VI vol. Analectorum (1927) p. 29-32. P. Hubbauer ipse de hoc apostolatu modeste narrat, et cum postea Romam venisset cum quodam Episcopo, non omisit Iaponenses Pontificii Collegii de Prop. Fide inyisere et cum eis lingua vernacula conversari.

Ultimis annis P. Laurentius cum approbatione Superiorum officio Postulatoris causae beatificationis Servae Dei Mariae Theodorae Viron e Congregatione Sororum S. Joseph de Chambéry fungebatur.

Verbum « senectus est quidam morbus » in P. Hubbauer denuo verificatum est. Per spatium 15 annorum multum laboravit variis infirmitatibus: arteriosclerosi, hydropsia, debilitate cordis. Noctes quasi insomnes pergit reclinatus in sella. Nihilominus exerciciis vitae communis interfuit et assidue in confessionibus excipiendis confratribus auxiliabatur. 15 dies ante mortem sanguis cerebralem ictum passus et in gradibus scalae saeculi Piraporae lapsus, valde caput vulneravit. Translatus in nosocomium S. Pauli, ibi die 25 Novembris 1944 animam purificatam per multos labores et dolores dilecto Creatori reddidit.

Multae litterae commiserationis et compassionis ab episcopis, sacerdotibus et laicis illustribus ad Superiores missae magnam aestimationem cari defuncti demonstrarunt. R. I. P.

P. HECKENBLAICHNER

---